



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Odit per priuilegia legibus eximi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Templum sit, atque etiam ( licet Synaxis sacra diebus Festis hic obeatur, ibi verò concio conuocetur ) nihilominus in Collegio examen conscientiae signo consueto indicatur, quod moribus nostris non permetteretur. E contrario tamen videri, Ædem illam cense-ri instar Templi Collegij, quando iri eò solitum est, ad audiendam concionem aut lectionem. Sed ego, inquiebat, edoceri me certius curabo, ac si quidem lege teneri comperero, numquam in posterum licentiam petiturus sum. Quo clarè æstimari possit, quàm ille mordicus Regularum obseruationi in- hareret. Nam & inter ea quæ sibi tamquam principia quædam statuerat, hæc quoque sententia comperitur: *Odisse vt pestem dispensationem in Regulis.* Neque sane deinceps priuilegio vlllo generali huius illiusve rei pro arbitrio gerendæ aut omittendæ eximius ha- beri voluit, quòd sentiret scilicet, minore pe- riculo ac maiore merito, quotiescùmque res ferret, facultatem submisit indifferenterque à Superiore flagitari. *Non facile petam, inquit, facultatem generalem pro aliquâ re.*

Festo Parentis nostri IGNATII die, cùm Sacro interfuisset, quod in Æde IESV fuerat solemniore ritu peractum, reuertentem ad Collegium comes interrogat per viam, ec- quam præcipuè gratiam à beato Patre flagi- tasset.

*Odit per  
priuilegia  
legibus exi-  
mi.*

tasset. Oraui, inquit, in Societate mori, nullâ *Amor Regularum.*  
 umquam Regulâ violatâ. Præstò ei ante oculos perpetuò erat Regularum liber apertus,  
 in museoli sui mensâ; aiebatque, mirè se acquiescere insigni Romani Collegij disciplinâ, in quo permagni æstimari sentiebat minimarum etiam Regularum obseruationem. Atque illo præcipuè simul delectabatur, videre tot Patres Fratresque tempore colloquij à mensâ concessi, aut in horto, aut in conclau, aut alijs locis suauiter ambulantes, religioseque colloquentes; mox nolæ vnius signo admonitos, momento silere omnes, verbis etiam dimidiatim abruptis, silentioque quemlibet redire in cubiculum suum, nullo cuiusquam audito per viam verbo. Sed quàm sancto affectu leges ille, vt normam quamdam veræ sanctitatis perfectionisque diuinitus sibi datam, complecteretur, vel eo cognosci potest, quòd omni vesperâ cum dormitum se conferret, (rem nouam, ac mihi quidem inauditam) religiosus Iuuenis librum Regularum singulari quodam pietatis sensu subijceret capiti suo; ac tum quietiore animo arctiorem somnum sibi capere videretur; moribundus verò, eundem librum adferri iussum, manibus tenere vellet, vt suo deinde loco diceretur.

Enimuerò si vigilans semper Ioannes fuerit